

**Dissertatio fasciculum observationum medicarum exhibens. : Quam
Academiae militaris statore et protectore summo serenissimo atque
potentissimo duce ac domino, domino Carolo, duce Wirtembergiae et
Tecciae regnante &c.; / praeside Johanne Friderico Consbruch ...
Stuttgardiae, die vi dec. MDCCLXXVII. publice defendent respondentes:
Theodorus Plieninger ... Emanuel Theophilus Elvert ... Christianus
Fridericus Jacobi ... Johannes Christophorus Fridericus Schiller ...
Fridericus Ludovicus Liesching ... Fridericus Wilhelmus de Hoven ...
Johannes Wilhelmus Reinhart ... Johannes Christianus Weckherlin.**

Contributors

Consbruch, Johann Friedrich, 1736-1810
Plieninger, Theodor.
Elvert, Emmanuel Gottlieb.
Jacobi, Christian Friedrich.
Schiller, Friedrich, 1759-1805.
Liesching, Friedrich Ludwig.
Hoven, Friedrich Wilhelm von.
Reinhard, Johann Wilhelm.
Weckherlin, Johann Christian, -1781.
Hohe Carlsschule.

Publication/Creation

[Stuttgardiae] : Imprimebat Cotta, typographus aul. et cancel, [1777]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/cc5ujfyz>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO

FASCICULUM OBSERVATIONUM MEDICARUM
EXHIBENS.

QUAM

ACADEMIÆ MILITARIS

STATORE ET PROTECTORE SUMMO

SERENISSIMO atque POTENTISSIMO DUCE AC DOMINO,

DOMINO

CAROLO,

DUCE WIRTEMBERGIÆ ET TECCIÆ REGNANTE &c.

PRÆSIDE

JOHANNÉ FRIDERICO CONSBRUCH,

MED. DOCT. PROFESSORE MEDICINÆ IN ACADEMIA MILITARI P.O.
ET ACADEMIÆ CÆSARÆÆ NATURÆ CURIOSORUM COLLEGA.

STUTTGARDIÆ, Die VI. Dec. MDCCLXXVII.

PUBLICE DEFENDENT

RESPONDENTES:

THEODORUS PLIENINGER, *Kaltenwestheimensis.*EMANUEL THEOPHILUS ELVERT, *Canstadiensis.*CHRISTIANUS FRIDERICUS JACOBI, *Stuttgardianus.*JOHANNES CHRISTOPHORUS FRIDERICUS SCHILLER, *Marpacensis.*FRIDERICUS LUDOVICUS LIESCHING, *Bietigheimensis.*FRIDERICUS WILHELMUS de HOVEN, *Stuttgardianus.*JOHANNES WILHELMUS REINHART, *Stuttgardianus.*JOHANNES CHRISTIANUS, WECKHERLIN, *Stuttgardianus.*


Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30791297>



OBSERVATIO I.

HÆMOPTYSIS ET MORBUS NIGER HIPPOCRATIS.



§. I.

Paucissima adhuc, quæ DEI est ineffabilis benignitas, Academia militaris civium suorum luget funera. Eo tristior igitur nobis accidit jactura optimi adolescentuli, quem dirus & implacabilis morbus desideriiis nostris eripuit.

§. 2. Noster ille nobili Stirpe natus, decimum tertium ætatis suæ annum agebat. Excitati erat ingenii, sed pallidus & infirmus, tardique incrementi. Ipse æger afflictam sanitatem inde petebat, quod olim in patria domo pugnis pedibusque inhumaniter percussus fuerit. Postea per Insignem SERENISSIMI DUCIS Clementiam in Illustrem Academiam Militarem receptus, ex diuturno pectoris morbo laborabat, tibi proximus. Superato dein morbo, frequenter tussiens, nonnunquam cruenta exspuebat.

§. 3. Die 31. Junii anni 1776. Febris Scarlatina nostrum invasit, mitis quidem ea, quæ jam die undecimo Julii in tantum convalescere siverat ægrum, ut valetudinarium deferere posset, ad quod tamen rediit die 15. Julii, levi catarrhali febre tentatus, cum tussi, capitis dolore, alvique profluvio. Brevi quidem omnia in melius se inclinare videbantur, verum jam vesperi diei 21. Julii intensus calor, acrior tussis, pectorisque angustię, augmenta fallacis morbi prodebant. Die 23. & 25. Julii aliquoties æger sanguinem ore projiciebat, nunc tenuem & floridum, nunc spissum, atrum foetidumque. Idem evenit mane diei 26. Julii, quo ipso die versus meridiem sanguis ea copia ex ore prorupit, ut adolescentulus animo linqueretur, mortique videretur proximus. Cum vero magna pars projecti sanguinis atra esset, & congrumata, celeberrimus hujus Academię Medicus, Amicus meus quam maxime colendus, morbum nigrum Hæmoptysi jungi, verissime judicavit. Hanc dein de morbo nigro suspicionem extra dubium ponebat nigricans & corruptus cruor per alvum profluens. Hoc vesperi vero nostrum viribus exhaustum horror invadebat, quem vehemens calor excepit, crebris horripilationibus interpellatus. Nox fere infomnis transigebatur, ægrotus continenter fere sinistro lateri incubuit, namque, ipso fatente, dolor dextro Hypochondrio inhærens situm ibi valde reddidit molestum. Pallidum & exsuccum corpus jam jam cadaveris imaginem simulabat, cum simul spiritus ægre tractus, putredinem oleret. Nondum omnino deferbuere vivacis olim animi igniculi, verum spes nostra sub pristini diei calamitatibus defecit. Denique mane diei 27. Julii cum novum ingrueret ex ore sanguinis profluvium lethali syncope noster occubuit.

§. 4. Non attinet hic recensere, quanto studio optima quævis remedia in usum sint vocata, cum ea omnia eluderet validissimus morbus. Ipsa vero Clementia SERENISSIMI DUCIS, dici non potest, quanta fuerit, nunc consolando ægrotum, nunc imperando

perando omnia ea, quæ commodis illius essent opportuna. Sci-
mus autem, & devotissima mente miramur, Magnum hujus
Academiæ Statorem, & in rebus ad valetudinem alumnorum
pertinentibus, non modo Clementissimi PRINCIPIS sollicitu-
dinem, sed & benignissimi Parentis affectum, quam largissime
præstare.

§. 5. Dissectum Cadaver, hæc memoratu digna exhibuit.

In abdominis cavitate multum feri fluctuabat.

Hepar ficcum & pro corporis ratione magnum, cum
Diaphragmate, Peritonæo & Liene præter naturam
concretum erat. In superficie interna majoris lobi le-
vior inflammatio in conspectum se dedit. Vesicula fel-
lea & ipsa bilis nil inconfueti exhibebant.

Ventriculus libra circiter, atri, grumosi & foetentis
sanguinis repletus erat. In ejusdem extremitate fini-
stra, infra cardiam ventriculi paries justo tenuior ap-
parebat, atque inibi ex atro rubens macula in floreni
amplitudinem diffusa, conspiciebatur. Locus iste post
iteratas lavationes livido colore distinctus permansit.
Eam ob rem conjiciebamus, sanguinem ibi per varico-
sas & exesas venas in ventriculum effluxisse.

Per intestina multi sanguinis grumi dispersi jacebant,
quorum potior pars intestinis crassis inhæsit.

Lien Diaphragmati & Hepati accretus, parenchyma
habuit totum quantum fracidum.


Vesica urinaria valde exigua apparuit, namque sub-
stantia ejus præter morem carnosa & ad dimidium pol-
licem densa, adeo angustam cavitatem reliquit, ut ne
quidem contracta hæc & densa vesica duas lotii uncias

continere posset. Scire autem juvat, nostrum semper ex involuntario mictu laborasse.

Renes tamen & ureteres secundum naturam se habebant.

In aperto Thorace dextrum pulmonis lobum, ad latus, ad Sternum & Diaphragma accretum vidimus, ipse vero lobus putredine corruptus obvenit. Adacto cultro anatomico, cruentus & cadaver olens ichor effluebat. Sinister pulmo utcunque bene se habens, non ita, ut dexter cum Pleura coaluit.

Caput intactum reliquimus.



§. 6. Igitur in dextro pulmone à vi ista extrinsecus illata, dudum imbecillitas quædam, aut varicosa distentio, partiumve aliquarum concretio superesse potuerunt. Certe pulmones nunquam ex eo tempore in integritatem restitutos fuisse, pectoralis morbus testatur, quo ante binos annos noster decubuit. Ut vero hac ratione dexter cordis ventriculus fatis promte in pulmones se exonerare nequibat, ita neque sanguis per Venas cavas refluus, commode in dextram cordis auriculam transfundi, id quod, si ad situm attendas, Venæ cavæ inferiori molestissimum accidit, quapropter sanguinis circulum eo magis per abdomen impeditum fuisse credas, quo minus Diaphragma in tanta pulmonis imbecillitate, subjecta abdominis viscera valide fatis urgere poterat. Ita & in Lienis vasis infarctus enati sunt, neque inanis est suspicio, hoc ipsum viscus, ex ista foris illata vi graviter concussum, non amplius ad pristinam integritatem pervenisse. In novissimis dein febribus sanguis, tum in Liene, tum in dextro pulmonis lobo passim stagnans, magisque, quam in prægresso cachectico statu corruptus, vasa corrodit; unde Hæmoptyses & cruenti vomitus magnum in modum enati sunt,

sunt, viribus, ut ex sanguinis dispendio, ita quoque ex putrido infarctuum halitu labefactatis. Quodsi porro Lienem fracidum, lividamque illam Ventriculi maculam contempleris, in promptu est suspicari, projectum illum atrum cruorem ex Liene redundasse. Nimirum urgente vomitu haud difficillime Lienis cruor per brevia vasa valvulis destituta, retrogrado motu in Ventriculi Venas impelli potuit, iisque arrosis & disruptis intra Ventriculum effundi. Negat quidem Simsonus (a) sanguini à Liene in Ventriculum viam patere, verum Muzelius (b) manifeste vidit, magnum durumque lienem, cum premeretur, eandem materiam in Ventriculum emisisse, quam æger, dum viveret, vomendo projecerat. Cæterum Medicorum fugit neminem, atri istius cruoris ejectionem, renovato nomine nigrum morbum Hippocratis vocari, & ab Illustri Tiffoto (c) secundum veterum placita, id est, secundum naturam, describi.

§. 7. Sed de leviori ista Hepatis inflammatione non opus est multa differere. Ea certe novissimis demum morbi temporibus enata fuit, nempe cum febris ingrueret multis horroribus stipata, & magnæ essent de dolore in dextro Hypochondrio querelæ.

§. 8. Quod demum ad angustam densamque illam Vesicam urinariam pertinet, passim apud Observatores hujus rei exempla prostant. Ita notabilem vesicam Hottingerus (d) describit, digitum minorem transversum crassam & fibrosis funiculis majorum chordarum magnitudine conspicuam. Cum hac conjungas Rudolphi Jacobi Camerarii observationem (e) vesicæ, fimilis massæ carneæ, cujus parietes cum essent duorum pollicum crassi-

(a) De Re medica. p. 150.


(b) Medicinische und Chirurgische Wahrnehmungen. I. Sammlung. p. 28.

(c) In libello de morbo nigro Hippocratis.

(d) Ephemerides Naturæ curiosorum. Deæuria, III. Anno 9. & 10. Observ. 232.


(e) Ibidem Centuria III. Observ. 10.

crassitie, cavitas nucem juglandem vix superavit. Fabrica nempe vesicæ carnea paulatim invalescit, & ex indole contractili tanto efficacius fibræ se contrahunt, quanto elementa sibi sunt propiora, quoties acrior urina, aut calculus, aut qualiscunque alia causa stimuli vices gerens, affluxum sanguinis versus vesicam auget, quo dein tunicæ ejus densantur. In ægroto nostro potissimum urinæ acrimonia in culpam crassescientis & angustatæ vesicæ venisse videtur.



OBSERVATIO II.

POLYPI BRONCHIORUM.



§. I.

Mulier triginta septem annorum, jam diu infirma conflictata valetudine, primum cruenta, postea purulenta exspuebat. Ante octo fere annos dolor prius dextrum thoracis latus occupans, in sinistrum se inclinavit, gliscente subinde aliqua febricula. Tum ægra sinistro lateri haud potuit incumbere. Autumno 1771. post improvidum recentis vini potum, sub valida tussi, gravi-que intra thoracem dolore, & nescio quo in pectoris penetralibus strepitu, in sinistro pulmone sibi aliquid avelli sensit, quod continuo cum pure ejectum, laceræ cujusdam & convolutæ membranæ simulacrum exhibuit. Hoc, ubi evenit, febrilis accessio incidit, labantibus interea afflictæ viribus. Brevi post iterum aliquid membranacei ejectum est, sed absque tanta symptomatum vehementia.

§. 2. Rebus pedetentim in melius versis, malum quietiora tempora mulieri præstabat, breves tamen erant & infidæ induciæ. Nimirum jam insequente hyeme petechiali lue correpta est, eaque perditæ decubuit. Emergit autem, quod mireris, è tanto discrimine, id quod tamen miseram à pristini morbi insidiis haud potuit vindicare. Die nempe quinto Februarii anni 1773 vehementi tussi affligebatur, quæ tria membranacea concrementa eduxit, albo spissoque pure delibuta. Singulatim prodibant illa, brevissimo tamen interjecto tempore. Quod, antequam incidit eadem apparuere signa, quæ primam membranæ ejectionem antecedeant, longe tamen, quemadmodum in altera ista ejectione mitiora. Hoc factò ægrota deficientis animi minas sensit, mox tamen evanidas. Sinistro Hypochondrio, sinistroque Thoracis lateri continue dolor aliquis inhæsit, & pervicax tussis subflavum pus eduxit, cruentis distinctum striis.

§. 3. Ultimo Maji 1773. ægrota purulentam expectoravit membranam. Ab eo die usque ad 25 Iulii tum sex convolutæ membranulæ prodierunt, tum alia membranosa massa, ita pure contaminata, ut mulier eam pro disrupta vomica haberet. Dum hæc acciderunt, cruenta expuebat, ac febricula tentabatur, crebris horroribus stipata, qualis quidem sub membranarum expectoratione incidere consuevit. Interea & vires agrotæ quodammodo concidebant, & corporis habitus ex aliquo tempore intra mediocritatem persistens paulum extenuabatur. Neque tamen hæc impediabant, quo minus ægrota, die (ni fallor,) 26 Iulii me adiret, unam ex ejectis istis membranis spisso & subflavo pure conspurcatam mihi ostendens. Cum explicarem convolutam hanc membranam, ambitu suo florenum fere æquabat, nihil tamen fibrosi aut organici in ea conspexi. Ipsa vero ægrotans asseruit, se nunc in utrumque latus cubare posse, pectus sibi quasi vacuum videri, spiritum


tum nuper difficiliorem, nunc esse allevatum, importunam in trachea titillationem, quæ crebræ tussis necessitatem fecerit, defuisse, diuturnam autem raucedinem incrementa cepisse.

§. 4. Die 9. Augusti 1773. frater mulieris mihi retulit, illam satis bene se habere, ut etiam messoriis laboribus interesse posset. Ego vero dudum prohibui duros istos & agrestes labores, in quibus sane nimia est, sedula hæc mulier.

§. 5. At nolo singula sputa membranacea recensere, ut ne tædium faciam lectoribus. Scire tamen convenit, ægotam asserere, universum numerum membranaceorum fragmentorum, quæ tussi ejecerit, esse octodecim. Novissima expectoratio sub initio Decembris anni 1773. facta est, postea nihil amplius membranacei aut purulenti sputi in conspectum venit, spiritus potius ex eo tempore allevari, raucedo imminui, ac tussis definere cœperunt. Itaque Mulier tum commode per acclivia ascendere, onera portare, omnesque, qui rusticam decent, labores peragere potuit.

§. 6. Menstrua per morbum raro & inordinate fluxerunt, dein opportune & justo modo ferebantur, usque dum mulier æstate anni 1774. gravida redderetur.

§. 7. Tam diuturno morbo pauca remedia opposui, demulcentia præcipue, temperantia, vulneraria, balsamica atque anodyna. Multa eorum è penu domesticorum remediorum deprompta sunt, ne scilicet medicatio fieret sumtuosa mulieri, non minus rei domesticæ, quam sanitatis difficultate laboranti.



§. 8. Multiformia interdum intra bronchia generantur polyposa concrementa, quæ foras ejecta in devia sæpe duxerunt medicorum opiniones. Sic apud Tulpium, (a) egregium alias observatorem, observata prostant, quibus probare annittitur, integram à pulmone ejectam esse venam. Mirabatur autem tantam fieri potuisse in pulmone parenchymatis dissolutionem, ut liberum ab omni substantiæ pulmonalis adhæsiōne appareret ramosum vas, ac si otiosus Anatomicus removisset circumpositi visceris impedimentum. Inauditum id credidit esse miraculum, quod miratura sit posteritas. Quasi vero Galenus (b) tot seculis ante non vidisset similia. Numquid jam in Libro VII. Epidemiorum, ipso Galeno (c) teste, Hippocrati non tribuendo, idem morbi genus occurrere videtur? Historia nempe sic incipit: Pherecidæ post solstitium hybernum, nocte lateris dextri dolor: desinit autem, ut recte agnovit Valesius, (d) his verbis: ante mortem rejecit tussiendo, velut ex muco fungos compactos, excrearat autem jam ante alba, lactea.

§. 9. Optime de extussitis his vasorum simulacris statuerunt Celeberrimi viri: Ruysch, (e) Kaau, (f) van Swieten (g) & Murray, (h) nempe quod sint polyposa concrementa

B 2

in

(a) Observationes medicæ L. II. C. 12. 13.

(b) De locis affectis L. I. C. I.

(c) De difficili respiratione. Libro III. Capite I.

(d) Comment. in eundem locum.

(e) Musæum Anatomicum. p. 127.

(f) Perspiratio dicta Hippocrati p. 114. ubi & celebris Dringenbergii casus occurrit.

(g) Commentaria in Boerhaavii aphorismos Tom. IV. p. 31.

(h) Novi Commentarii societatis Regiæ scientiarum Goettingensis. T. IV. p. 44.

in bronchiis collecta. Interdum & sanguis intra bronchia effusus, & inibi compactus, polyporum bronchialium species subministrat. Probe memini, me quondam vidisse carnosum quasi corpusculum, à Virgine aliqua nobili, eaque hæmoptysi tentata, & summe hysterica, sub spasticæ tussis luctaminibus cum cruentis sputis expectoratum. Anxii ea de re adstantes sibi persuaferunt, bonam Virginem detritam à pulmonis parenchymate portiunculam exscreasse. Id sane nil aliud fuit, nisi parvulus polypus, à coagulato & quassato sanguine intra bronchia enatus. Etsi vero hæc ita se habent, existimem tamen ego; post violentas pulmonum læsiones, & in conclamato Phthiseos statu evenire posse, ut de solidis hujus visceris partibus aliquid abruptum exspuatur, siquidem fidem haud denego Benedicto, (i) qui internecinæ tabis signa exponens: post excretum (inquit,) pus cœnosum, colorisque cinerei, quod aquæ injectum facile ei quasi commiscetur, fundumque petit pulmonum pariterque vasculorum distrigmenta succussa deducuntur.

§. 10. Denique simulacra ista membranarum ab ægrota nostra ejecta concrementis intra bronchia sinistri pulmonis ortis accenseo: Ea enim neque veras membranas, neque vomitarum exuvias fuisse, arbitror. Equidem nolo inficias ire, fieri interdum posse, ut exigui folliculi pure pleni expectorentur, quales nempe observavit celeberrimus Kleinius, (k) haud tamen crediderim, integras vomicas magnitudine ovum columbinum æquantes, extussitas esse, quamvis in observatorum monumentis (l) hujusmodi exempla passim occurrere videas. Est

(i) Theatrum Tabidorum p. 17.

(k) Interpres Clinicus. p. 232.

(l) Schenckii observationes medicæ T. I. L. II. p. 405, 406.

Est etiam in promptu, unde conjicere possis, excreatās membranas interdum ab Observatoribus pro fragmentis internæ tunicæ asperæ arteriæ falso habitas fuisse. Certe Illustris van Swieten (m) observationem aliquam Galeni huc referre nullus dubitat, neque ab hac suspitione liberam nuncupare velim quandam Tulpī (n) observationem. Cæterum a veritate haud alienum videtur, purulenta ægrotæ sputa ex ulcere in bronchiis sinistri pulmonis enato prodiisse.

§. II. Sed polyporum bronchiis inhærentium causa varia esse consuevit. Nonnunquam enim sanguis est, post hæmoptysin in aëreis tubulis relictus, ac inibi coagulando in solidas degenerans massulas. Interdum evenit, ut folliculi glandulosi bronchiorum a dilatatis vasculis adferentibus solito plus humoris acceperint, qui per oscula glandularum in cavitatem aëreorum tubulorum expressus, non tantum vitiose spissari, & mora polyposus reddi, sed & ad formam fistularum, quibus tum inest, se componere potest. Exhalans vero ex arteriolis in cavum bronchiorum tenuissimus humor prohibere videtur, ne hisce tenacius adhæreant polyposa concrementa, quapropter interdum sine magno molimine expectorantur. Denique & polyposa membranacea concrementa ut in nostro casu, ex purulenta materie intra bronchia efformari queunt. Numquid fatalis illa albida aut subflava crusta, in Peripneumonia sæpe pulmonibus innata, ejusdem materiæ soboles est?

B 3 OBSER-

(m) Commentaria in Boërhaavii aphorismos T. IV. p. 30. 31.

(n) Observationes medicæ. L. IV. C. IX. p. 294.

OBSERVATIO III.

HECTICA ET HYDROPS ABDOMINALIS.

§. 1.

In gravissimis & ex sua natura internecinis morbis, Medicinæ omnem utilitatem ne deneges. Est certe aliquid, quem servare non potes, eum, quamvis afflictum & miserum, ad mortem tardius subeundam disponere.

§. 2. Vir 50 annis major, hæmorrhoidales motus sæpe alias expertus, ut tamen raro fluerent hæmorhoides, per dimidium & quod excedit annum varia imi Ventris valetudinè affligi cœpit, quæ paulatim in Hecticam degenerabat. Medum accersito hæc aderant morbi symptomata: Facies subflavo colore fœdata, corporis antea torosi emaciatio, appetitus languidus, tarda & clysmatibus ducenda alvus, flatulentia, præcordiorum angustiae, vomitus, urinæ fuscæ & multo mucoso sedimento graves, fæces tenaci, tremulo & in filamenta ductili muco plenæ, durus ad tactum in epigastrica regione tumor, cum dolore inde ad dextrum Hypochondrium diffuso. Remedia, quæ resolvunt, aperiunt, flatusque propellunt, nonnunquam breve auxilium præstabant. Denique pristinis calamitatibus Hydrops abdominalis supervenit cum hectica febre, & valde inaucta spiritus difficultate. Tum quidem urinæ, ex aliquo tempore parcæ, per congrua remedia; Oxymel squilliticum puta, Terram foliatam Tartari, & decocta luniperina, paulo largius profluxere, nihilo minus quævis morbi symptomata ita increverunt, ut elapsis binis septimanis

manis, inflammatoria superveniret febris, quæ intra paucos dies e vivis tolleretur ægrotum.

§. 3. Cadaveris sui sectionem, ipse noster, ut erat *Φιλανθρωπος*, jam fere moribundus petiit; forsan, inquit, hac ratione post mortem meam generi humano aliquid utile præstare possum. En igitur, quæ sub ipsa sectione notatu digna deprehendimus:

E dissecto abdomine tres circiter mensuræ rubellæ aquæ profluxerunt.

Majori Hepatis lobo in convexa superficie tenuis sanguinis grumus palmam manus circiter æquans incubuit, qui facile deglubi poterat.

Ipsum hepar vastæ molis erat, scirrhusum fere totum, & usque quaque exulceratum.

Vesicula fellea inanis, collum exhibuit scirrhusum, ductumque cysticum callosum & angustum.

Tantum Hepar ultra consuetam sedem suam se diffundens, ventriculum in sinistrum Hypochondrium compellebat.

Sed ipse sinister Hepatis lobus nimio plus versus idem hypochondrium se extendit.

Pone minorem Ventriculi curvaturam, nempe in Omento parvo, exulceratus scirrhus hæsit, gallinæ ovum sua mole æquans.


A pressione hujus scirrhi duodenum in regione, duabus unciis à Pyloro remota, per trium pollicum tractum valde erat angustatum

Intestinum jejunum passim levi inflammatione notatum apparuit.

Colon vero, ubi instar litteræ S. flexuosum decurrit contractum & nimis densum deprehensum est.

Reliqua abdominis viscera, & quod mireris, ipse Lien nihil inconsueta exhibebant.

Caput & Thorax non fuere aperta.



§. 4. Ut Hepar facile Scirrhis tumoribus pateat, inclina hujus visceris conditio efficit. Sanguis enim Venæ Portarum ob oleosam & viscidam indolem stasibus opportunus est, & ipsa bilis in lentorem facile cogitur. Vena portæ autem arteriæ in modum distributa, a cordis impetu remotior est, & pulsu, magno isto arteriarum privilegio caret, neque à capsula Glissonii aliquid subsidii obtinet, cum ea cellulosæ naturæ sit, nec fibris gaudeat muscularibus. Prouti igitur in ægroto nostro digestionis vitia, humorum mucositas & hæmorrhoidum retentio oborta sunt, pro eo sensim in Hepate infarctus enasci poterant. A difficiliore vero sanguinis per jecur transitu, scirrhi in Omento Hepatico Gastrico originem deducas. Namque hujus omenti venæ, vel per truncum splenicum, vel absque alia interposita vena, in Venam Portæ ventralem se immergunt.

§. 5. Sed aucta admodum Hepatis labes ineptum reddidit hoc viscus muneribus suis perficiendis. Igitur deficiente bile digestio magis languebat, neque aderat præcipuus stimulus intestina ad peristalticum motum incitans. Inde potissimum

tissimum & tardam alvum, & iniquam corporis nutritionem derives. Ut primum autem sanguinis in Hepate congestiones valde inauctæ sunt, tantam in molem id increfcere cœpit, ut Ventriculum fede sua moveret. Dimoto dein ventriculo & Duodeno ab incumbente parvi omenti scirrho coarctato, flatus & ingesta diutius in ventriculo retinebantur. Eo majores itaque præcordiorum angustiae exorsæ sunt, quo magis & à Ventriculo flatibus distento, & a monstrosa Hepatis mole Diaphragmatis descensus impeditus est. Quin & a difficili aëris atque ciborum è ventriculo exitu, frequentes isti vomitus potissimum enati videntur.

§. 6. In ipso Hepate ex stagnantium humorum corruptione facilis erat exulceratio. Hydropem vero tantis malis demum supervenisse, mirum non est. Iecinoris enim & parvi omenti tumores multa sanguifera vasa, multosque lymphaticos tubulos ita premebant, ut ex ruptis quibusdam lymphaticis vasculis, aut, si vel omnia integra permanferint, ob ipsam sanguinis moram lymphæ resorptioni molestam, plus aquæ in Ventris cavitatibus colligeretur. Neque vero ipsum parvum Omentum lymphaticis vasis carere credas, glandulæ enim conglobatæ inibi inveniuntur, à quibus lymphatica vasa non abesse facile conjicias. Accedit, quod & aliqua eorum indicia apud Biumi (a) & quosdam alios Anatomicos reperiantur.

§. 7. Porro multum augmenti accepit Hydrops, cum aquæ in Ventris cavum confluerent, & mucosi humores ad renes delati urinæ secretioni minus faverent, nec aliquantum largius propulsæ urinæ exhauriendo aqualiculo pares essent. Hæc ipsa vero aquarum in ventre colluvie spiritus difficultatem multum inaugeri debuisse, demonstratione non indiget.

(a) Halleri Elementa Physiologiæ. T. VI. p. 378.

§. 8. Grumus iste sanguinis, qui parti alicui convexæ superficiei dextri hepatici lobi incubuit, ex disruptis aliquibus vicinis vasis profluxisse videtur, hydropicæ enim aquæ membranaceas partes ita extendere & macerare poterant, ut facilis esset vaforum quorundam disruptio.

§. 9. Tantis autem malis & reliqua recensita symptomata, & maxime, primo hæticam febrem, dein inflammatoriam, ipsamque demum mortem supervenisse, non est quod mireris; quin potius, si morbum secundum artis regulas æstima-
veris, mireris, miserum ægrum non maturius gravissimo morbo succubuisse.

OBSERVATIO IV.

MORBUS SPASMODICUS à GANGLIO IN TIBIA.

§. I.

Quam levicula sæpe causa sit, quæ valetudinem nostram turbet, totumque fere corpus in consensum rapiat, sequens exemplum docet: Fœmina quinquaginta & quod excedit annorum, macilenta, agilis & rixosa, ante novem annos in carpo dextræ manus ganglion habuit, nihil faciens molestiæ, aptisque remediis, vapore inprimis infusi herbarum quarundam emollientium, sublatum. Brevi postea Rheumatismo brachii dextri afflicta tum internis medicamentis, tum thermis prope Stuttgartiam sitis, utebatur, quibus discussus fuit Rheumatismus. Verum in latere interno Tibiæ sinistræ, duobus transversis digitis super malleolum internum, tuberculum
eminere

eminere cœpit, durum, mobile & rotundum, magnitudine pisum adæquans. Continuans thermarum usum ægrota, tantis in tuberculo affligebatur doloribus, ut thermas deferere deberet.

§. 2. Per complures dein annos non increfcere videbatur ganglion, fœmina autem tempestate nubila aut frigida exorta, maxime autem animo terrore aut ira commoto, dolores in ganglio persensit. Ut vero tum dolor nondum nimius erat, ita & brevi semper evanuit. Ex tribus novissimis annis Ganglion sensim fere in magnitudinem minoris nucis juglandis increfcebat. Frequentes nunc dolores in tuberculi sedem irruebant, adeo quidem sævi, ut ægra gemitus lachrymasque haud posset opprimere. Cum primum scilicet accessio oriretur, è Ganglio ad genu usque dolor se diffundebat. Brevi postea ægrotans, de magna nausea querens vomitum expectabat. Id mali per unum circiter horæ minutum duravit, tumque fœmina taciturna sedit, hebes & stupida. Dein non quidem vomitus, sed sonora aliquot sternutamenta insequiebantur, post quæ dolorum vis se remittere consuevit. Nonnunquam tamen ne quidem intra horam omnes cruciatus disparuere. Sub ipso paroxysmo admodum sudabat ægrota, quin & sæpissime evenit, ut dolore in Ganglii sede repente evanido, dolores tum in pectus, tum maxime in cervicem irruerent. Interdum comprehensa hæc loca omnis dolor deferuit, revertente ad Ganglii sedem pristini doloris impetu.

§. 3. Verum non omnes insultus ejusdem vehementiæ erant, five tempus durationis spectes, five symptomatum vim & multiplicem varietatem. Finita accessione fœmina commode obambulare & domestica sua negotia peragere potuit. Prouiti autem inconstans & frigida tempestas, aut terror, aut rixæ opportunitas ingruebant, pro eo vel plures, vel pauciores paroxysmi inciderunt. Eorum nonnunquam uno die quatuor


vel plures conspiciere licuit, sæpius tamen nova accessio interposito majori temporis intervallo recurrebat. Ganglion vero durum permansit & utcunque mobile, interdum vel levior tactus dolorem revocabat. Suprema cutis, à tuberculo elevata, post crebrius recurrentes paroxysmos rubere consuevit, cum alias nihil inconsueta coloris exhiberet.

§. 4. Intra tam longum tempus ægrotæ maritus, probatæ dexteritatis Chirurgus, varia discutientia emplastra incassum adhibuit, plus autem speravit à vapore infusi cujusdam herbarum emollientium ad afflictum locum admissio, siquidem illud jam olim in Ganglio manus ægrotæ utilitatem præstabat. Neque negari potest, & nunc id genus remedii dolores mitigasse, immo Ganglion sub ejus usu paululum emolliri visum esse. Veruntamen ægra non semper perferre potuit vaporem. Quoties autem sub ipso paroxysmo tuberculum calore fovebat, aut spiritu vini, camphora & sapone veneto imbuto humectabat, toties aliquid levaminis percepit. Post aliquod tempus bina exigua, dura & mobilia tubercula in latere interno tibiæ, prope spinam hujus ossis, duobus transversis digitis supra majus illud Ganglion exorta sunt, quæ tamen nihil mali faciebant.

§. 5. Denique ego de molesto illo majori Ganglio consultus, nullus dubitavi, excisionem ejus suadere, ut tamen velamentum inviolatum servetur, & ejiciatur cum eo, quod intus teneat, ut etiam major attentio fiat, si forte ab inferiore parte ganglion nervo inhæreat. Annuit Chirurgus consilio meo, a quo ægrota primum abhorruit. Tandem vero iteratis dolorum accessionibus permota, die 25. Junii, anni 1774. in Ganglii excisionem consentiebat. Igitur Chirurgus, me non præsentem, scalpellum admovit tuberculo, quod tibiæ haud firmiter inhærens deprehendit. Facta incisione primo totum gan-

ganglion excindere decrevit, sed uxoris impatientia, & magni dolores, & timor, ne forte subjectum nervum læderet, impediebant eum, quo minus integrum Ganglion erueret, quapropter relictam partem lapide infernali delere ausus est.

§. 6. Die 28. Iulii per litteras, (habitat enim in pago,) mihi retulit; fere sublatas esse Caustico omnes Ganglii reliquias, exiguam tantum duritiem remansisse, nihilominus se ex uxoris voluntate, & ex timore, ne forte Causticum subjectum nervum læderet, vulnus perfanasse. Hilarem esse foeminam, in sede tamen Ganglii interdum dolores p̄sentire, leves quidem eos & brevi disparentes, Posthæc adiit me, duo frustula de Ganglio secta, secum ferens. Albicantia erant ista, & coctæ cartilaginis consistentiam exhibebant. Contracta apparebant, nempe in Spiritu Vini conservata, ac simul sumpta magnitudine avellanam non æquabant. Ex eo tempore interdum dolores in pristina ganglii sede sentiuntur, mites tamen ii, & tardius recurrentes. Interea Ganglii reliquæ aliquantulum increvisse videntur.



§. 7. Bene Hippocrates, in libro de locis in homine: unaquæque, inquit, corporis pars, altera alteri, cum hinc vel illinc perruperit, statim morbum facit; venter capiti, & caput carnibus & ventri, & reliquæ omnes eadem ratione. Ideo optimum fuerit, ægrotantes partes, per eas, quæ morbum faciunt, ad curationem accommodare. Atque hic noster casus hujus rei memoratu haud indignum exemplum suppeditat. In eo nempe Ganglion super ramum aliquem nerveum situm, vel ipsi nervo accretum esse videtur, neutiquam enim hic proxime fitis tendinibus & aponevroticis expansionibus aliquid tribuas, quippe à quibus sensibilis natura abest. Sub qualicunque igitur sanguinis ebullitione, aut con-

gesto in confiniis cruore, turgentia vasa sedem Ganglii nervique urgent, ut inde nervus à Ganglio irritetur. Placato dein humorum impetu & discussa sanguinis congestione, desinit ad tempus omne malum.

§. 8. Difficilis quæstio superest: qua scilicet ratione à la-
cessito nervo in diffitis regionibus tantæ turbæ excitentur?
Certe à nervorum conjunctione inter se vix quicquam expe-
ctes, cum neque in origine, neque in omni decursu suo me-
dullam in ramos distribuant, sed unice singulos minores
nervos dimittant, qui cellulosa fabrica in fasciculum col-
lecti, majorem nervum componunt. Nervus accessorius
octavi paris videtur quidem aliquem consensum inter nobi-
lem hunc nervum & spinalem medullam efficere, siquidem
is à sex septemve primis nervis posterioribus cervicis, &
à medulla oblongata plurimis radiculis ortus, ad octavum
accedit, in cranium retrogradus, verum in itinere suo nusquam,
ne quidem ab Illustri Hallero, (a) octavo Pari immixtus
deprehenditur quin seorsim etiam è cranio migrat, etiam
& tunc, quando eodem foramine utitur, per ejusdem forami-
nis imam partem emergit. Quod si vero in Gangliis nervosis
medullæ commixtio fieret, multa symptomata hujus morbi in-
de explicari possent. Nervus enim intercostalis cum octavo
frequenter conveniens, cum nervis lumbaribus & sacris per
plura Ganglia commercium alit. Constat autem ex nervis
istis spinalibus Ischiaticum produci, cujus propagines tibiales
sunt. Verum in Gangliis nervosis medullam concurrentium
inibi nervorum commisceri, ægre credideris. Quod si enim
hujusmodi quid accideret, non posset non accurata perceptio
turbari. Accedit, quod etiam consensus inter nervos sit,
nullis gangliis conjunctos. Eum igitur in cerebro potius,
quam

(a) Halleri Elementa Physiologiæ, Tom. IV. pag. 244. 245.

quam in nervis quærendum esse, vel ex ipso sensu conjicias, qui nullus foret, nisi ad cerebrum perveniret qualiscunque ea impressio. (a) Huc etiam referas illam sensuum obnubilationem, quæ sub gravioribus morbi insultibus nostram detinuit. Qua ratione autem cerebrum à laceffitis nervis ad medullam spinalem pertinentibus, affici queat, ex eo efficitur, quod maxima pars medullæ spinalis collectæ medullæ cerebri & cerebelli propago sit, quodque ea medullæ spinalis portio, quam proprius suus cortex suppeditat, accessoria tantum pars videatur, in musculorum motum potissimum impendenda.

§. 9. Quod reliquum est, multum convenit spasmodicus noster morbus cum ea Epilepsiæ specie, quæ à parte aliqua corporis incipiens, impetum inde ad cerebrum usque emittit. Qui in luculenta praxi versantur, facile meminisse poterunt hujusmodi morborum. Quin observatio Epilepsiæ à latere, aut à manu, aut à pede ortum capientis, adeo antiqua est, ut ipsius, tanquam facilius curandæ mentio fiat libro II. Prædictionum, (b) qui si Hippocratis non est, certe tam gravis Auctoris est, ut ille hujus locus à Celso (c) in sua scripta fuerit translatus. Sed & apud Galenum (d) memorabilis eâ de re exstat historia. Inter recentiores autem observationes, plures similis argumenti reperiuntur, è quibus tamen non alia magis huc facere videtur, quam quæ in Collectione (e) medicarum observationum Londini edita occurrit. Nimirum mulier triginta octo annorum per duodecim annos ex Epilepsia laboraverat, primo morbi tempore singulis mensibus paro-

(a) Ibidem p. 322.

(b) Sect. XVI. n. 56.

(c) De Medicina, L. II. Capite 28.

(d) De locis affectis. Lib. III. Capite II.

(e) Medical Essays T. IV. n. 27. p. 416. Van Swieten Commentaria T. III. p. 450. 451. Tissot's Abhandlung von der fallenden Sucht. p. 81. 82.

paroxysmus rediit, postea adeo invalescebat malum, ut, quotidie quatuor vel quinque invasiones inciderent, singulæ per horam & ultra tenebant miseram, quæ hebes & stupida inde facta rem familiarem ulterius curare nequibat. Optimis quibusvis remediis adeo non cedebat morbus, ut potius in dies gravior insurgeret. Interea semper paroxysmus à crure incepit, in regione Gastrocnemiorum, & protinus caput petiit, quo facto ægra, ore spumas agens & miserrime convulsa cecidit. Medicus paroxysmi tempore præsens, conferebat crus affectum cum altero, neque ullam diversitatem detegere poterat. Dein audaci consilio in regionem, è qua continue impetus morbi cœpit, scalpellum adegit, ad binorum circiter pollicum profunditatem, & in fundo vulneris corpus invenit durum, cartilaginofum, pisum majus magnitudine æquans, separavit illud a musculis, & vidit nervo id insidere; discidit nervum, & ganglion forcipe prehensum eduxit. Quod simul ac factum fuit, resurrexit ex paroxysmo mulier, optime se habere læta exclamans, quin etiam postea à diro morbo immunis, cum mentis corporisque sanitate rediit in gratiam.

§. 10. Ecquis non miratur exiguum durum corpusculum, sola mole irritans nervum, cui accreverat, in loco à capite tam dissito, toties excitasse morbum comitalem? Quam parum speranda videbatur integra curatio, in illa hebetudine, quæ cerebrum tantis concussionibus perditæ afflictum arguebat. Attamen felix sagacissimi Medici audacia continuo prostravit Herculeum morbum! Utinam & in nostra ægrota funditus sublatum esset Ganglion, discisso nempe prius nervo, si quidem illi accretum esset damnosum hoc tuberculum.



OBSERVATIO V.

LIQUORIS NITRI FIXI ADVERSUS HYDROPEM
EFFICACIA.

§. I.

In Novis Actis Academiæ Imperialis Naturæ Curiosorum (a) strictim egi de Hydropē abdominali, liquore Nitri fixi persanato, liceat nunc aliud exemplum in laudes ejusdem Liquoris proponere.

§. 2. Rusticus quidam annos natus plus minus quadraginta, tum ob lassitudinem morbosam, tum ob neglectam dudum sanguinis missionem venam sibi in pede secari curat. Postero die febris ex magno horrore incipiens hominem ad-oritur. Primæ accessiones vesperi redire consueverunt, horroribus, quos calor aliquis exceperit, nec non capitis dolore & multa siti conspicuæ. Brevi post singulis diebus aliquot exacerbationes incertis temporibus inciderunt, ad hæc & sicca tussis, & pressio cum dolore in dextro Hypochondrio ægrotum divexabant, ac facies multum pallebat. Quinto die pedes primum aquosus tumor occupat, dein paulatim totum corpus molli & pallido tumore ampliatur. Is tumor, dum premitur, fossulam, quæ tarde rursus impletur, habet, impressi digiti vestigium. Ipse vero homo languidus & moleste spirans, paucam, eamque fuscā reddidit urinam. Pulsus, si quidem febris tempora excipias, parvus fuit &

(a) T. V. Obs. 28.


tardus, ipsaque febris elapsa prima septimana fere omnis disparuit. Scrotum & penis vasto & aquoso grandefcebant tumore, tumido præputio usque adeo intorto, ut fere urinæ fistulam intercluderet.

§. 3. Rebus sic se habentibus Chirurgus quidam accersitur, qui ægro laxantia & decoctum ramusculorum Juniperi propinat, morbo autem in pejus se inclinante meum expetitur consilium. Præscribo igitur Gummi Ammoniaci depurati drachmam integram, Extracti panchymagogi scrupulos quatuor, Resinæ Jalappæ scrupulum dimidium, pulveris radices squillæ drachmam dimidiam, & Essentiæ Lignorum quantum sufficit ad pilularis massæ temperaturam. Singulæ pilulæ pondere grana duo æquabant, quarum sex ter per diem erant devorandæ. Potui decoctum illud Juniperinum ulterius aptum censui.

§. 4. Primo quidem remedia aliquid laudabile præstare videbantur, at mox in pejus se inclinans morbus bonam spem fallebat. Nimirum corpus majori, quam unquam tumore augebatur, spiritum ita gravante, ut æger exstructis ad erectiorem situm culcitris, potius in lecto federet, quam decumberet.

§. 5. Cum eo ventum esset, curationem Liquore Nitri fixi tentare decrevi, quapropter dedi bis per diem Liquoris Nitri fixi guttas quinquaginta, in usitati istius decocti cyatho. Quid ergo evenit? Ecce tenues & dilute flavæ urinæ uberim profluunt, tumor subsidet, spiritus levatur, sudore irroratur corpus, vertuntur in melius omnia. Igitur consumptis drachmis sex salutiferi Liquoris, eandem copiam denuo parari jussi, qua iterum usurpata, jam proxime aberat valetudinis integritas. Tum quidem é re fuisset roborantibus remediis medi-

medicationem absolvere, verum æger jam fatis consultum esse sanitati suæ existimans, maluit medicamentis vacare, & quod curationis fuit reliquum, tempori & naturæ committere; neque sane spe sua frustratus est, sed potius brevi tempore incolumitati restitutus.



§. 6. Hydropicas aquas per urinæ itinera educere, semper Medicis opportunum videbatur, at plurima sunt remedia renale liquidum pellentia, quæ simul & aliis virtutibus polent. Nonnulla enim fluidum sanguini spissescenti infundendo urinæ stillicidium augent, alia humores lentos ac spissos, renalis colatorii ductus farcientes ac oppilantes dissolvunt, eosque secretioni aptos reddunt; quædam spasticas in renali emunctorio strictureas, debitam urinæ sequestrationem sufflamantes & intercipientes, mulcent atque relaxant; quædam remissum renalis cribri robur firmant atque adducunt; alia atque alia demum potenti stimulo efficaciam edunt in tubulos renales, quando eorum robur propter debilitatem summam penitus exsolutum, ipsaque hinc eorundem functio cessat. (b)

§. 7. E tanto diureticorum numero elegi mihi Liquorem Nitri fixi, simplex & efficax remedium, quod spissos & mucosos humores resolvit, ac renales nervos potenter stimulat. Neque ego hujusmodi Alcalia fixa in Hydropicis morbis extimesco, ex quo per Pringlii experimenta (c) mihi innotuit, quod illa non faveant putredini, quin eidem adversa sint. In Nitro fixo autem præparando caveas, ne Nitrum e Crucibulo effundas, ut primum detonatio cum immisso carbonum

D 2

bonum

(b) Friderici Hoffmanni Opera omnia Physico Medica. T. I. p. 438.

(c) Versuche über septische und Antiseptische Substanzen, p. 354.

bonum pulvere cessaverit, aut saltem, ubi imminuta ea fuerit, sic, ut paucae scintillae duntaxat exsiliant; hac enim ratione multum acidum Nitro fixo admixtum remaneret, atque ita purum sal alcali lucrari nequires.

§. 8. Cæterum de Anasarca monere hic liceat, me iis non prorsus assentire, qui Levcophlegmatiam & Anasarcam unum eundemque morbum habent, neque defunt celeberrimi viri (d) distinctionem aliquam admittentes. Sic autem differunt hi bini morbi: In Levcophlegmatia corporis habitus tumidulus, mollis, pastaceus & frigidus apparet; in Anasarca plus tumoris est, qui à pedibus exortus, lente ascendere consuevit. Levcophlegmatia, aqua inter cutem mitior, in hanc degenerat, quoties frigida illa pituita in aquosam tenuitatem diffluit. Præterea partibus Anasarca obsessis, artius admotus digitus foveolam imprimit, lente disparentem, id quod minus facile contingit in Levcophlegmatia ubi collectus mucosus humor difficilior in vicinas cellulas urgetur. Scire autem convenit, Aretæum (e) minus recte hoc signum in Anasarca obvium, Asciti tribuere, siquidem id tantum in Hydrope abdominali animadvertitur, quando morbus Anasarca sit stipatus. Denique is ipse Hydrops abdominalis, frequentius Hydropi inter cutem, quam Levcophlegmatiae supervenire consuevit. Quodsi vero ad curationem respicis, ea in Anasarca purgantibus inprimis & diureticis, seorsim & conjunctim propinatis ac denique tonicis remediis absolvitur, cum contra in Levcophlegmatia res minori opera peragatur. Quoties enim ex Chlorosi aut ipsa Levcophlegmatia languentes puellæ, vel moderatis, vel nullis laxantibus præmissis, post datam ferri limaturam motumque provide auctum, non amplius de morbido pallore querulæ, restitutam vivi coloris gratiam

(d) Van Swieten Commentaria T. IV. p. 157. 158.

(e) De Causis & signis morborum diuturnorum L. II. Cap. I.

gratiam lætæ contemplantur. Igitur Galenus (f) pituitam haud inepte vocavit semicoctum alimentum, quod non evacuare debet Medicus, sed coctionem in eo absolvere.

OBSERVATIO VI.

CANCER MAMMÆ ET MORBUS NIGER HIPPOCRATIS.

§. I.

Delicatesiores nostri ævi mores, in Medicinam quoque nimiam lenitatem invexerunt. Æsculapius Pergamenus vix aliquem nunc reperiet, Ælio Aristidi similem, quem æque austerioris suæ disciplinæ præceptis regat. Hodie priscam illam & censoriam severitatem multis delinire officiorum & indulgentiæ condimentis oportet, ut vix politi Medici nomen habeat, qui vel amarorem, vel dulcedinem medicaminis ad ægri morositatem temperare nescit, vel qui in vitæ regimine molestiores leges condit; ne dum ille, qui in pessimis quibusdam morbis opportune ad Hippocraticum illud respicit: Quæ medicamenta non sanant, ea ferrum sanat.

§. 2. Virgo quædam nobilis 49. annorum, in medio fere dextræ mammæ scirrhum aluit globosum, scabrum, mobilem, per se inibi exortum, cujus quidem excisionem minime permittebat, vehementer abhorrens crudelem Chirurgiam. At suspectum istum, & progressu temporis livido colore notatum

D 3


(f) De naturalibus facultatibus. L. II. C. 9.

tatum tumorem, sæpe prurigo tentabat, glandulæ, quæ sub dextra axilla sunt, intumescebant, quin etiam instantibus, vel jam jam profluentibus menstruis, in tumorem insurgere confuevit tota afflicta mamma, scirrhus aliquantulum dolente. Emplastra ac Epithemata ex herba conii parata, & pilulæ ex inspissato succo conii confectæ, adversus id malum nihil poterant. Tandem auctis in dies calamitosis symptomatibus, vitiosus humor velamentum, quo scirrhus comprehendebatur, nec non supremam cutem exedit, occulto scilicet cancro in apertum degenerante. Tum vero cancrusus ille scirrhus mole sua Gallinæ ovum adæquavit. Ego dein auctor fui, ut Chirurgus bis per diem Cataplasma ex radicibus tritis Dauci fativi mammæ imponeret. Scilicet id genus curationis adversus cancrofa mala aliquid præstare posse, observationibus clarorum virorum, Sulzer, Denis, Gibson & Nicolson cognitum est. Quoties itaque Chirurgus Cataplasma à mamma removit, toties ulcus mundificavit decocto saturato herbæ Conii, aceto Lithargyrii imbuto. Nunc etiam omissis pilulis è succo Conii paratis pulvis Corticis Peruviani ægrotæ porrigebatur, alvo subinde laxante remedio soluta. Potus erat decoctum sanguinem depurans, neque raro virgo generosa emulsiões, aut gratos acidulos haustus capiebat.

§. 3. Dum hæc ita gerebantur, morbus mitiorem indolem simulabat, siquidem mammæ dolores desinebant & acris sanies puri similior reddebatur, ipso foetore ejus disparente. Ad hæc nihil sanguinis, quemadmodum ante accidit, ex ulcere stillabat, nec amplius carpta lintea nigricante colore foedabantur. Mense Augusto anni 1773. Cataplasmata ex Dauci radice adhibere cœpimus, ultra tres menses in eorum usu persistentes. At labilis erat & infida curationis hujus prosperitas, pervicax enim malum pedetentim in pejus se inclinavit. Nimirum ulcus deteriori iterum ichore madebat, qui scirrhusam molem.

molem compluribus in locis corrofit. In tam afflicto rerum statu varia tentavimus, potissimum Epithema ex Decocto Corticis Peruviani, Essentia Myrrhæ sine Alkali & aceto Lithargyrii imbutum, non neglecto interno Corticis usu. Verum hæc omnia elusit implacabilis morbi atrocitas; quandoquidem ulcus foetido & acerrimo ichore inundatum, latius se diffudit, validaque tussis cancrofam mammam adeo concussit, ut sub hisce luctaminibus aliquoties sanguis ex ulcere prorumperet; quin etiam nocturna tussis irritamenta omnem fere discusserunt somnum, unicum miseræ solamen. Hæctica autem febre continenter urgente cibi desiderium defecit, corpus valde contabuit, & magni succedere languores.

§. 4. Circa medium mensis Januarii anni 1774 ad ultima ventum est, febris enim & perdita quævis symptomata intendebantur, tandem his calamitatibus animi deliquia accesserunt, quorum novissimum cum ingrueret, protinus ægræ libra forte medica spissi, atrii & putredinem olentis sanguinis ex ore & naribus prorupit, miseramque exoptata morte nefandis morbi cruciatibus eripuit.



§. 5. Itaque virginem generosam insultus morbi nigri è vivis rapuit, ejus scilicet, qui prima est species morbi nigri Hippocratis, (a) si nempe Coum pro vero Auctore librorum de morbis habere velis. Ater iste sanguis ex infarctis antea, & nunc disruptis Ventriculi venis prodiit. Dudum enim symptomata vidisses, tum quæ ad hosce infarctus aliquid facere potuere, tum quæ eos jam jam latentes suspicari nos jussissent. Scire enim juvat, ægrotam per complures annos ex crebris alvi obstructionibus vagisque hystericeis spasmodis & maxime cardialgia laborasse. Sanguis ipsius spissus fuit, mensuratum

(a) De morbis L. II.

fiumque fluxus largus, nec semper definita tenens tempora. In novissimo morbo ægra frequenter & sæva Ventriculi tormenta, & magnas præcordiorum angustias accusabat, atque tum valida pulsatio in epigastrica regione admota manu poterat percipi. Quod si vero, id quod sæpe accidit, tarda alvus à propinato Cathartico vel immissa lotione movebatur, duræ, globosæ, & mucosæ obductæ fæces prodire consueverunt. In ipso morbo singulis vicibus parcius stillabant menstrua, ac tandem omnem sistebant fluxum. Scilicet ex his bene patet, atræ bilis cum cancrosa materie affinitas. Immo & veteres Medici, atram bilem, tamquam scirrhi & canceri causam accusare consueverunt (b) & eo intenderunt curationem, ut solutus atrabilarius cruor è corpore educeretur.

§. 6. Quem ego in hoc malo effectum Cataplasmatidis è radicibus Dauci fativi observavi, eundem fere Nicolson in simili morbo notasse video. (c) Eodem remedio Dominus Gaum, dexterrimus inclytæ Academiæ Tubingensis Chirurgus, ulcus faciei cancriforme perfunxit. Opportunum forsitan erit ipsam morbi historiam strictim hic recensere: Rusticum quadraginta & quod excedit annorum, ulcus divexabat è duro tumore enatum, & fere in totam sinistram nasi partem, nec non in potiore partem palpebræ inferioris sinistræ se diffundens. Multum putridæ carnis superincreverat ulceri, quod duris, luridis & retortis oris cinctum, saniem fudit acrem & vehementer olentem. Egregius Chirurgus radices Dauci fativi trituras curavit, dein succum ita expressit, ut massa spissioris Cataplasmatidis temperaturam haberet. Hujusmodi Cataplasma bis singulis diebus ulceri superdedit, idque remoturus semper antea decocto herbæ Conii humectavit. Præterea
ægro-

(b) Galeni Methodus medendi ad Glauconem. L. II. C. XII.

(c) Conmentarii de rebus in scientia naturali & medicina gestis. T. XVIII. p. 406.

ægrotus decoctum lignorum & pulverem Corticis Peruviani capere debebat. His igitur per quinque circiter menses ita gestis, & sumto subinde Cathartico, tum resolutus est tumor, tum ulcus ad integram sanationem perductum.

§. 7. Nunquam, quod ingenue fateor, licuit mihi esse tam felici, ut tectum vel exulceratum mammæ cancerum perfanarem. Nihilo minus antiqua tempora hujusmodi sanationis exemplum præbere videntur. Nimirum legitur in Herodoti monumentis, (d) de Democede, Medico Græco, tum ob curatam difficilem luxationem Darii Hystaspis, tum ob recusata regia dona, & expetitam Ægyptiorum Medicorum vitam celebri, sanasse eum Atossam, Cyri filiam, Darii conjugem, cui in mammilla ortum est ulcus, quod disruptum latius ferpebat. Quam diu id parvum erat, pro more sexus pudibunda celaverat, cum vero in pejus vergeret, Democedi detexit. Nulla fit in hac curatione sectionis vel ustionis mentio.

§. 8. Quam multa vero remedia novissimis temporibus adversus cancerum deprædicata sint, non est quod hic largius exponam. At mihi certe vana videntur medicorum conamina, quibus unicum contra illum quæerunt specificum. Quod si enim, quemadmodum experientia constat, diversæ indolis sit cancrosa materies, næ illi, qui omnibus cancris unum idemque remedium invenire student, perinde oleum perdunt operamque, atque hi, qui universali cuidam Medicinæ inveniendæ assidua
cura

(d) L. III.

cura invigilant. Quapropter magis è re efflet, solícite exponere, quo in casu singula remedia salutem attulerint, quam unico specifico quemvis cancrum persanatum ire. Revera vel ipse Cortex Peruvianus & herba Conii, (e) uti in quibusdam casibus mira præstiterunt, sic in aliis fidem minime liberarunt.

§. 9. Præterea non incongruum est monere, quod in mammis tumores & ulcera dentur, scirrhus & cancro fere similia, neque tamen his nominibus culpanda. Sic pertinaces indurationes in mammis ex lacte coagulato ortæ, neque veri scirrhii sunt, neque in cancrum degenerant, sed potius, ni resolutionem admittant, in lentas & fistulosas suppurationes vertuntur. Porro in mulieribus immundæ Veneris contagio delibutis, teste Clarissimo Bierchen, (f) triplex in mammis occurrit tumorum & ulcerum forma. Nempe nunc ulcera cutanea sunt, pure madentia, nunc instar sphacelantium apparent, nunc autem duritie distinguuntur, inde à costarum membrana exorta. Prima species, uti habitu suo lardo simili veneream indolem facile prodit, sic duæ reliquæ Cancrum mentiuntur. Igitur, dum hæc & alia perpendo, non iniquum mihi videtur suspicari, sæpiusculè Medicos, minime, ut sibi aliisque persuadere studuerunt, veros cancos domuisse, sed diversis mali moris ulceribus felicem Medicinam fecisse.

§. 10.

(e) Conii laudes & vituperia collecta vide in Celeberrimi Gmelini, Amici mei charissimi, egregio libro: *Allgemeine Geschichte der Pflanzengifte*. p. 371. &c.

(f) *Commentarii de Rebus in scientia naturali & Medicina gestis*. T. XIX. p. 518.

§. 10. Post exsectum cancrosum scirrhum frequenter malum deterius repullulat, & anceps antea salutis spes in certam desperationem convertitur. Constat enim, quod sæpe ex relictis in margine & fundo vulneris duris scirrhi propaginibus, ceu ex totidem radicibus novus cancer progerminet. Interdum calamitas eo augetur, quod cancrosum virus prius intra indurata scirrhi vasa retentum, hoc exsecto, libere vegetur, ac à vicinis resorptum vasculis, & glandulas juxta sitas, & sanguinem inficiat. Quam ob rem, si ad scalpelli operam decurritur, festinandum est, & recenti re id agendum. Est autem ingenitum molliculis foeminarum animis, ut crudelem Chirurgiam, initio usui futuram, vel nunquam, vel fero demum, & post frustrata omnia remedia viresque collapsas admittant. Ideo in novissimo casu cavendum est, ne lenta alioquin sanatio violento conatu abrumpatur, & qui in longitudinem extrahi morbus potest, cruenta & subita morte expietur.

OBSERVATIO VII.

ANEVRYSMATA ET POLYPI CORDIS AC MAXIMARUM ARTERIARUM.

§. 1.

Cor solum inter viscera perpetuæ incolumitatis privilegio gau-

gaudere, Aristotelis (a) & Plinii (b) effatum est, quod tamen magis nunc frequentata Anatome falsitatis arguit. Quamvis enim cor ob breve & expeditum sanguinis per vasa coronaria iter, minus, quam alia viscera morbis pateat, ab iis tamen, & quidem gravissimis, haud prorsus est immune.

§. 2. Vir 29 Annorum, proceræ staturæ, habitusque corporis intra mediocritatem persistentis, iracundus, & multum adversi perpeffus, minusque assuetus exactæ vitæ rationi, à puerilibus annis ex capitis artuumque dolore, vertigine, alvi tarditate, spiratione difficili, cordisque palpitationibus frequenter laborabat. Increfcente sensim morbo pulsus multis modis erant inordinati, neque raro intermittebant. Cum 19 ætatis annum ageret, ex pedum œdemate & abdominis Hydrope laborare cœpit, morbo tamen haud diu perseverante. Circa vigesimum primum ætatis annum tristior morbi status exorsus est, neque ex eo tempore ulla dies sine graviore aliqua afflictione transiit. Nonnunquam subito vehemens dolor per pectus se diffudit, interdum & animi deliquium incidit, maxime tum, quando æger pectus valde antrorsum inclinabat, desiit autem Lipothymia, cum primum hominem erigerent. Ex qualicunque etiam vel leviori corporis nisu, sanguifera capitis vasa admodum turgebant, facie multo rubore suffusa & arteriis vehementer pulsantibus. A vigesimo octavo anno miserandus æger continue fere sedebat, ita sæpe anhelans, ut metu subitanæ suffocationis, adstantibus dorsum, pugnis leniter percutiendum, præberet, qua
ex

(a) L. III. de partibus animalium.

(b) Hist. nat. L. II. C. 42.

ex re semper aliquid levaminis percepit. Novissimis vitæ septimanis pedum oedema apparuit, brevi inflammatum. Denique animi deliquiis, cordis palpitatione, spiritusque luctamine insistentibus, noster magis magisque à viribus derelictus: jam sentio, inquit, me vivere desinere. Facie tum Hippocratica, corpore extenuato, pulsuque exiguo, celeri & intermittente. Mors autem quam proxime insequens, ægrotantis prædictioni respondit.

§. 3. Cadaver anatomico cultro submissum, multa notatu dignissima, & à consueto statu valde aliena exhibuit:

In Abdomine quidem præter majusculum hepar & aliquot libras feri in ventris cavitate fluctuantis, nihil insoliti occurrebat.

Remoto vero à pectore Sterno, Mediastinum à vasto corde multum dextrorsum compulsum, & ex parte etiam antrorsum Sterno appressum apparuit.

Pericardium cum universa cordis superficie tam arcte unitum fuit, ut nequiret undique deglubi. Cor autem adeo vastum erat, ut una cum distentis magnis vasis potiore partem cavitatis pectoris sibi vindicaret, exiguis & compressis pulmonibus fere tantum superiores utriusque lateris regiones permittens. Sed & eo minus spatii pulmonibus relinquebatur, quo angustior fuit a natura Thorax. Ipsum cor basi sua pulmonibus accretum, superiori sua superficie, plana admodum atque lata, tum Mediastino, tum hujus ope ipsi Sterno inhærebat.

Magna sanguifera vasa, & crassas tunicas habebant, & prope cor amplissima erant, utraque etiam auricula solito firmior, mole sua consuetam magnitudinem multum superabat.

Anterioris Ventriculi columnæ atque parietes admodum crassa erant & compacta. Valvulæ tricuspidales, osseis lamellis munitæ, cultelli vi valide resistebant.

In hoc ventriculo albidum, densissimum & tendineum quasi concrementum delituit, quod ex columnis fulcisque interioris superficiei propullulasse videbatur, firmis adeo radicibus ubique se continens, ut cum illud evellere niterentur, ipsum ventriculum simul discerperent. Omnem fere cavitatem ventriculi replebat monstrosus hic polypus, qui & in auriculam anteriorem, & in pulmonalem arteriam torosum ac libere fluctuans brachium emisit. Firmior & quasi tendinea massæ hujus portio, altero die bilanci imposita, 4 unicas & dimidiam pondere, æquabat, laxior & minus firma crusta enormem massam fistebat. Corpus hujus concrementi figuram affectabat anterioris Ventriculi, nidi nempe sui, ac in omni sua superficiei læve erat, & arte quasi politum.

Cavitas posterioris ventriculi amplissima fuit. Carnes ipsius & interiores eminentiæ præter naturam densæ erant, quin & auriculam sinistram amplam vidisses, & adeo crassam, ut alias sinister cordis ven-

ventriculus esse consuevit. Valvulæ finistri cordis magnæ & firmæ, nullibi tamen ossæ conspiciantur.


Huic ipsi vero cordis ventriculo major, quam anteriori polypus inhæsit, qui lata basi cordis dissepimento accretus, absque ejus dilaceratione avelli nequibat. Duo brachia exporrigebat ingens hic polypus; alterum undique liberum Aortæ immit-tens, alterum auriculæ; quô ubi id venit, in majorem molem diffusum auriculæ penetralibus se immerfit. Firmior & tendinosa quasi polypi massa minus compacta erat, quapropter haud plus ponderis habebat, quam ea alterius polypi, tametsi major erat. Reliqua spongiosa & levior substantia, corticis ad instar nucleo circumfusa, eam prioris polypi vasta sua mole superabat.

Arteriæ coronariæ adeo ample patebant, ut facile majorem calamus scriptorium admitterent, sed & magnæ illius venæ coronariæ in dextram auriculam hians orificium præter naturam diductum erat.

Exigui illi, & à corde ultra modum incremente, in tantas angustias reducti pulmones non erant in consuetos istos minores lobos divisi, & ubi pleuræ adjacebant, intime cum illa coaluere. Cæterum Parenchyma eorum nihil insoliti ostendit.

Cum

Cum morbi & mortis causæ per hæc abunde innouerint, Cranium non est apertum.



§. 4. Quid in hoc morbo præcesserit, quid subsecutum sit, difficile est asserere. Quod si enim supponas, primum in Aorta obstaculum hæsisse, quod paulatim tantum noxæ cordi intulerit, id sane non omni dubio exemptum videtur, cum minus compactus cordis finistri polypus, & valvulæ ibi non offeæ inventæ, suspicionem potius facere possent, de malo prius in dextro corde ejusque confiniis enato. Si vero primum, aut in pulmone, aut in dextro corde impedimentum quoddam exortum fuerit, nondum apertum est, qua ratione tum à paucis sanguine sinistro cordi suppeditato, & cavitates hujus, & Aorta, in tantam amplitudinem diductæ sint. Conjectura tamen superest, à tam exiguis sanguinis undis per venas pulmonales sinistro cordi allatis, id minus irritatum, non ea vi se contraxisse, quæ omni suo sanguini in Aortam projiciendo sufficeret, sic polyposum concrementum in sinistro cordis thalamo esse enatum. Cæterum & magna vasa prope cor dilatata fuisse facile credas; ut enim venæ cavæ & pulmonales sanguinem haud expedite in cor effundere poterant, ita etiam pulmonalis arteria atque Aorta eundem promte recipere nequibant.

§. 5. Alia nunc quæstio superest, quomodo scilicet cum dilatatione cordis, parietum ejus non imminuta, sed aucta potius crassities conjungi possit? Cordis cavitates, cum præternaturam diducuntur, non omnem sanguinem emittunt, cum in-

interim continue nova venosi sanguinis unda ad eas haud penitus vacuas appellat. Major igitur sanguinis copia, & polypi, has inter turbas enati vel aucti, magis resistent sanguini, ex ipsis cordis carnibus per plures meatus in cavitates redituro, quamobrem pars hujus sanguinis intra cordis parietes subsistens, ipsos efficiet crassiores. Quamvis autem in hoc ægro ampliatum esset majoris venæ coronariæ in dextram auriculam patens orificium, circumfusi tamen sanguinis grumi impedire poterant, quo minus expedite sanguis inde proflueret. Quod si, ut in nostro casu, Anevryisma cordis cum Anevrysmate Aortæ jungatur, illud insuper accedit, ut, cum magna arteria sanguinem à corde immissum promte promoveri nequeat, multo plus ejusdem sanguinis, mox contrahente se arteria in orificia utriusque coronariæ resiliat. Igitur cordis parietes, ut plus sanguinis accipiunt, ita minus emittunt, quapropter duplici de causa crescant, eoque magis, quo ampliora sunt orificia, per quæ sanguinem accipiunt; fuerunt autem nostro in casu amplissima. Denique & majorum arteriarum crassiores tunicæ impedito per eas sanguinis fluxui tribuendæ videntur, quum vascula earum, & à polypis premerentur, & à sanguine minus expedite per ipsa magna vasa moto. Cæterum in ipso hoc cordis & magnorum vasorum vitio producendo, angusto Thoraci, intemperato vitæ regimini, iræ & tædio, crebrisque animi defectionibus magnas partes fuisse, suspicari fas est. Id genus morbi autem, neque inauditum, neque ab observatoribus neglectum putes, cum magni Viri, Morgagni, Senac, Haller atque Lientaud, cordis in miram amplitudinem diducti exempla proferant, quæ tamen hic congerere, utique nimium esset.

§. 6. Quod porro ad vastos illos cordis polypos attinet, hos fane symptomata successerunt, quæ manifeste confirmant, eos non nuper demum, aut in novissimis vitæ luctaminibus enatos esse, certe eos jam dudum procreari cœpisse, firmior ista & quasi tendinosa interior substantia, abunde testatur. Polypus autem in iis hominibus reperitur, quibus pulsus inordinatus fuit, & cor palpitavit, ob continuas polypi, crassi nempe corporis irritationes. Syncope vero cardiaca à polypis in nostro sub prona corporis inflexione exoriebatur, quia forsan eorum situs tum is erat, qui sanguinem à majorum arteriarum ostiis averteret, tametsi alias in anevrismatico cordis & majorum arteriarum statu, facilius est antrorsum inclinati corporis situs, siquidem eo in casu inconsueta moles haud premit supinos pulmones. Sed spiritum difficillime trahi necesse fuit, ex animæ conatu, quæ ad expediendum sanguinis è dextro cordis thalamo in sinistrum iter, dilatando pulmone illi, adeo exiguo & semoto omnes suas vires intendebat. Cordis insuper cavitates monstrosam in amplitudinem distentas esse oportuit, cum præter vastos polypos etiam sanguinem reciperent, in magnas arterias transmittendum. Denique Hepatis moles inde aucta videtur, quod vena cava inferior difficulter in dextram cordis auriculam se depleret, quocirca & in Hepate sanguinis motus difficilior reddebatur, unde & pedum oedema & serum in abdomine collectum, derivanda existimo.

§. 7. Sed ex languente toties motu sanguinis polypos ortum & augmenta cepisse, à veritate nequaquam alienum duco. Quodsi enim perpendas, sanguinem novissime vena missum, & virgula conquassatum, memorabilem istam Ruyschii membranam præbere; si cum Hæhnio (a) exilientem de vena sanguini-

(a) Ratio medendi in Nosocomio T. II. p. 126. &c.

sanguinem lagena excipias, & mox clauso vase agites, jamque polypum creatum conspicias; si dein videas, quomodo sub animi deliquio, & qualicunque alio cordis languore cruor, inter cor tremulum & contremiscentes valvulas conquassetur; nonne facile inde liquet, polyposam massam & nasci ita posse, & augeri?

§. 8. Quod reliquum est, non possumus non mirari, miserum ægrum, in tanta vitalium partium depravatione vitam diu & per annos trahere potuisse. Perennat nempe interdum per longius tempus vita hominis, etiamsi inepta videntur illa corporis instrumenta, quæ quidem scholæ, ex veris artis principiis ad vitam summe necessaria perhibent; post mortem dein inconfueta hujusmodi extispicia in admirationem rapiunt scrutantes Anatomicos. Est sane, cur hic, deposita omni ratiocinandi libidine, exiguas ingenii nostri vires fateamur, & in ista incomprehensibili vitæ perserverantia EUM humillima mente veneremur, quem vitæ Fontem Sacra Scriptura deprædicat.



